



Stochflecke

G. J. 1700

Thes. P. VIII. 367 641.

9
EXPLICATIO

Ἐλεγκτικῆ
Evangelii Dominicæ secundæ
post Epiphaniæ.

Quam
P R Æ S I D E

Dn.

JOHANNES GERHARDO
DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO.

Suo

Patrono, Præceptore & Fautore
honorando

Ad disputandum proponit

M. JOHANNES OLTHOFF RO.
Stoch. Philos. Facult. Adjunctus in SALANA.

Ad diem XIIII. Januarii,

ANNO M. DC. XVII.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

EXPLICITIO

Evangelii Dominice secun-
de post Epiphania

P A R T I D E

De

JOHANNES GERHARDO
DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO

2no

Patrono, Praeceptoro & Rectori
Universitatis

M. JOHANNES OLTHOFFER O.
hoch. philol. Facult. Adjunctus in SALZBURG

Ab die 1. Jan. 1717
ANNO M. DC. XVII

J E N A E

Typis Joannis Steinmanni





EVANGELIUM

DOMINICÆ II. POST

Epiphan.

Johann. 2.

THESIS. I.



Sicut tres dantur in genere humano status & ordines, Ecclesiasticus, Politicus & Oeconomicus; præsens hic textus ad ultimum, Oeconomicum scilicet, pertinet, docetq; simul, hunc statum non minus DEO placere, ac reliquos duos priores, utpote qui suam piis conjugibus opem & operam promptam esse velit in rebus etiam desperatissimis.

Exordiana.

2. Quod ut luculentius ex hoc ipso textu erui possit, in duas hanc historiam distribuemus partes: ita ut in prima præter circumstantias videamus occasionem hujus miraculi unà cum colloquio Mariæ, instituto tum cum ipso Christo, tum cum famulis præsentibus. In secunda autem videamus ipsum miraculum ejusdemq; finem & effectum.

Diviso.

3. Prima itaq; circumstantia desumpta est à tempore, cum Evangelista dicit: *Et die tertia* &c. Hic meritò quaeritur, quæ sit illa dies tertia & unde numerari debeat. *Rupertus* numerat hanc diem tertiam à testimonio novissimo *Johannis*, hoc est, quia primi duo discipuli Christum sunt secuti, hoc autem locum habere non posse vel inde constat, quod illud *in crastinum* Joh. i. v. 44. non possit intelligi de crastino ejus diei, quo dixit Johannes, *Ecce agnus Dei*. Non enim intelligi potest dies crastinus, respectu ejus diei, quo Andreas cum altero discipulo secutus est JESUM à Johanne demonstratum. Illo enim die mansit Andreas apud JESUM cum suo comite in hospitio, fuit enim tunc hora quasi decima ab ortu Solis, ita ut duæ tantum horæ superfuerint ad vesperam; Sequitur

Tempus.

ergo non illo die, sed vel postero vel aliquo alio sequente die Andream fratrem Simonem inventum ad Christum adduxisse. Quare etiam iste dies dicitur crastinus respectu ejus diei, quo Simoni dictum est, *tu vocaberis Cephas*.

Opinio Stapulensis.

4. *Stapulensis* intelligit tertium diem à Sabbato. Nam Sabbato propter varia ministeria nuptialia non celebrârunt nuptias, nec secundâ Sabbatorum, quæ enim ad nuptiale convivium necessaria sunt, non potuerunt Sabbato præparari. Tertia igitur Sabbatorum celebrandis nuptiis commoda fuit, ut secundâ Sabbatorum præpararentur necessaria. Et hinc existimat tertium diem septimanæ à Johanne nominari. Sed Scriptura aliter solet dies septimanæ appellare, prima scilicet, secunda, tertia &c. Sabbatorum.

Judicium a-
biorum.

5. Alii volunt diem tertium à Christi discessu à Jordane numerare, sed ratio itineris hoc non admittit. Baptista enim tunc in Bethabara ultra Jordanem versabatur. Iter autem illud vix triduo confici potest.

Imaginatio
Veterum.

6. Alii & quidem ex Veteribus à profectioe Christi in Galileam, quæ sub finem primi capituli Johannis describitur, digrediuntur ad reliquos Evangelistas, ac multas historias de iis, quæ Jesus in Galilæa docuit & fecit, interponunt, priusquam miraculum hoc mutata aquæ in vinum recenseant. Idq; nullam aliam ob causam nisi quod traditio feratur, notante Epiphanio, Eccio & aliis, quod sexto Januarii Christus sit baptizatus, quodq; eodẽ die, anno revoluto aquam in vinum mutarit. Vulgaris enim est opinio sexto Januarii tria hæc facta esse: Magos venisse ab Oriente Christum baptizatum & elapso anno primum signum in Cana illo die factum esse. Verum hæc opinio ordinem historiæ Evangelicæ miserè perturbat & contextum foedè lacerat, dum primum signum Christi in secundum annum ministerii ipsius transfert.

Refutatio
hujus opinio-
nis.

7. Per se enim & hæc opinio, quæ statuit, Christum sexto die Januarii baptizatum descriptioni Lucæ 3. v. 23. non satis congruit. Vel enim dicendum est, Christum, cum baptizaretur triginta annos jam completos habuisse, & ultra triginta annos tredecim dies anni tricesimi primi elapsos, qui participium ἀρχηγενος apud Lucam non admittit, cum inquit: Erat quasi triginta annorum incipiens esse. Vel dicendum erit, sicut Longobardus supputat, Christum baptizatum cum tredecim dies tantum post annum ætatis vicesimum no-

num absolvisset. Sed hoc particula *ubi* apud Lucam non patitur. Quando enim Scriptura sic loquitur, Erant quasi quinq; millia, certè non ultra quatuor mille tantum decem aut viginti personas superfuisse, sed numerum non procul à quinq; millibus sive minus sive plus abfuisse intelligit. Unde iudicatu facile, quantum vulgari opinioni de sexto die Januarii tribuendum sit. Vide hac de re *Dn. Chemnitium in præfat. in lib. 1. Harmon. Evangel.*

8. Omnium itaq; simplicissima ratio est, si traditionibus & præsumptis opinionibus sepositis, ex ipsis historiae Evangelicæ circumstantiis inquiratur & investigetur, quæ supputatio ad veritatem quàm proximè accedere videatur. Dies itaq; hæc secundum Præstantissimos Theologos intelligitur dici tertia ab adita Galilæa, vel ab eo tempore, quo venit ad Jesum Nathanael, utpotè cui immediatè hæc historica nuptiarum descriptio subjungitur.

Vera sententia.

9. Nec intermitti & negligi debere allegoricas quasdam Veterum circa temporis hujus enumerationem interpretationes autumo, dum alii hos dies volunt significare lumen legis naturæ, lumen legis scriptæ, lumen legis gratiæ. In quo lumine gratiæ Verbum se manifestavit. Ex. 19. v. 11. Omnia enim naturalia & scripta in lege ad lumen gratiæ referuntur. Alii volunt per tres dies intelligi tres verbi manifestationes: In visione sensibili, in visione imaginaria, in visione intellectus. Alii tres dies explicant per tres illuminationes: Ad credenda, ad operanda, ad appetenda sive quærenda Lucæ 24. v. 21. Gen. 21. v. 24. Sic & Christus discipulos per credenda ad operanda, per operanda ad appetenda erexisse videtur. Sed hæc suo loco & piis cogitationibus relinquimus.

Explicatio Allegorica.

10. Ratione ordinis propositi sequitur jam secundo *Locus*, qui dicitur *Galilæa civitas nomine Cana*. Duplex enim fuit Cana vel Cotne, ut Syrus habet. Altera sita in Galilæa superiore sive gentium non procul à Sidone cognomento *major*, de qua Jos. 19. v. 28. Altera, de qua hoc loco, *minor* dicta, extabat in Galilæa inferiore, in tribu Zabulon supra vallem Carmelon quatuor circiter horarum itinere distans versus mare à Ptolemaide, trium verò à Nazareth meridiem versus non procul à Christi civitate Capernaum, notante *Francisco Luca*.

Locus

11. Tertiò rem ipsam uno verbo indicat, *fuisse nuptias*, facit hoc ad miraculi Majestatem. Nam si in nuptiis editum fuit, ergo coram

Res ipsa

coram magna hominum frequentia. Habebit hoc miraculum ocu-
lato & aurito testes, imò qui de vino ipsi biberunt; facit etiam eò
turba nuptialis, ut longius res spargatur, nam ex diversis locis con-
fluunt homines, qui rem visam & auditam postea apud suos nar-
rent. Quo consilio videtur Christus bonam partem miraculorum
suorum fecisse in turba frequentiore. Quædam inter paucos facit,
sed tamen ad illos semper adhibuit aliquos testes.

*Pompa nup-
tialis.*

12. Pergit quartò Evangelista *ad pompam nuptialem*, circa quam
considerandæ veniunt primò sponsus & sponsa. 2. Convivæ, qua-
les inter alios fuerunt Jesus ipse cum Matre & Discipulis. *Autho-
rite Jesu* traditionem esse dicit, Johannem, qui postea Evangelista
Ita factus est, in his nuptiis sponsum fuisse, & sponsam vocatam
Anachitam vel Mariam Magdalenam. Jesumq; ideo ad nuptias
illas venisse, ut Johannem licet desponsatum & sponsæ jam copu-
latum virginem abduceret, ne ad sponsam ingrederetur. Ita *Hie-
ronymus in præfatione in Johannem*: *Hic est Johannes Evangelista
unus ex discipulis Domini, qui virgo à Deo electus, quem de nuptiis
Deus volentem nubere vocavit, cui quoque eundem in modum
subscribit Augustinus in præfatione in Johannem.* Quos imitatus
Mantuanus, cum scribit:

*Consobrinus eum Christus, sic fama, volentem
Nubere, cum lympham dulci mutavit Iaccho,
Traxit ab incepto Venerisq; coercuit æstum.*

13. A quibus nec discedit *Eccius conc. 1. super hanc Domin. cum*
inquit: *Ich achte billich / Augustino vnd Hieronymo vnd andern Wo-
ren in dem zu glauben / die ohn zweiffel von andern noch etern es ge-
hört haben / sonst würden sie es nicht so tapffer geschrieben haben / denn
ob es wol der Text nicht außdruckt wes die Hochzeit gewesen / dennoch
wird es gemeintlich daffir gehalten / daß der Brutigam gewesen sey
Johannes der Evangelist / wie die Historia Ecclesiastica außweiset /
den Gote beruffen hat von der Hochzeit / als er hat wollen weiben &c.
Sed quàm impium hoc sit commentum in contumeliam tantum-
modò nuptiarum confictum vel ipse contextus monstrat, quan-
do videmus, quod Filius Dei suâ præsentia & quidem primitiis
suorum miraculorum voluit comprobare honorabiles scilicet esse
nuptias & cubile impollutum Ebr. 13. v. 14. Pertinet ergo fictitia il-
la demonstratio ad doctrinam dæmoniorum. 1. Tim. 4. v. 1.*
14. Nec

14. Nec enim sponsus nec sponsa nominatim exprimuntur, ideoque quis sponsus & quæ sponsa fuerit, affirmare non aude-
mus, interim tamen dubium non esse ultrò largimur, quin pii
admodum & veræ religioni addicti fuerint, quod vel inde li-
quet, quia tam sanctos convivas sibi deponunt. Colligi etiam
potest ex multis circumstantiis vel sponsum vel sponsam fuisse ex
cognitione Mariæ. Ipsa enim adest priusquam reliqui convi-
væ vocentur, non discumbit cum reliquis, sed ministrat & curat
quæ necessaria sunt. Et postea Evang. dicit vers. 12. Matrem &
fratres cum Jesu ex Cana descendisse Capernaum. Ergo reliqui
etiam cognati Mariæ in nuptiis illis affuerunt, & quosdam ex
cognatis Mariæ habitasse in Cana Galilææ, vel inde constare po-
test, quod Simon, qui Matth. 13. v. 55. vocatur frater Christi in
Catalogo Apostol. Marc. 3. v. 18. habet cognomentum Cananæi.

15. Convivæ inter alios itaq; considerandæ veniant i. ipse Jesus, *Convivæ*
qui propter cognationem illam, cum nuper in Galilæam, ut Mes-
sias, rediisset, invitatus fuit. Non quod magnum aliquod de-
iō jam ob visa miracula suspicarentur, sed simpliciter tanquam notus
& amicus. Fuit hic sanè admodum præstans & clarus conviva, præ-
cæteris convivis omnibus sapientiâ & sanctitate, potentiâ & ma-
jestate fulgens & eminens, utpote qui est Dei Filius, Rex Regum
& Dominus Dominantium, qui suam divinam gloriam in his ipsis
nuptiis per prodigium testatam fecit. Secundò etiam vocata fuit
Mater Jesu, cui nulla alia ex hominibus nata mulier dignitate con-
ferri poterat, quandoquidem hanc solam Deus eo honore est di-
gnatus, ut Dei mater fieret, & post partum intemerata virgo præ-
ter omnem naturæ cursum ac rerum seriem maneret. Tertio vo-
cantur etiam discipuli Christi, quos quidem tum sub initium sui
ministerii habebat. Nondum n. vocati erant omnes Apostoli, sed
pauci quidam discipuli, Andreas, Petrus, Philippus, Nathanael.
Joseph autem Christi Parentis mentio non fit, sed hunc jam tum
fuisse mortuum notat *Epiphanius her. 78.* quod nec hic nec alibi
postea conjungatur Matri aut fratribus Jesu.

16. Et jucunda est observatio, quod Jesus etiam tum quando voce Pa-
tris Messias declaratus officiū suū inchoaverat, nō dedignatur ag-
natis suis hoc genere officiorum gratificari, quod vocatus nuptias
suâ præsentia & præclaro munere ornat. Quod Monachi postea
fictitiâ

si sua religione indignum iudicarent. Extant enim Canones, quibus Clerici nuptiis interesse vetantur, quasi cum gaudentibus gaudere & consuetudini humanae, quales quales sumus, in rebus licitis & honestis nos accommodare non possimus aut debeamus. Nonne magna hac in re fuit Christi & matris ejus modestia? Quis sanctior Christo? quae castior Christi matre Maria virgine incorrupta? Et tamen utriq; ad nuptias hinc vocati comparent. Pollui se hodie putant Monachi & Nonnae, si sit illis comparendum in nuptiis, quas secularibus deputant hominibus, sibi vero putant non competere tanquam spiritualibus, quasi Christo spiritualis non fuerit, & Maria virgo castitati & virginitati Nonnarum cedere debeat. Venit ad nuptias, qui nuptiarum non erat filius, & qui ex nuptiis sunt nati (nisi ex scortatione forsan sint & adulterio) nuptias averfantur.

17. Finem autem si respicimus, quare Christus nuptiis interfuerit, quintuplicem potissimum invenimus. 1. Ut doceret nos, omnino aliquid dandum Naturali conjunctioni & consanguinitati, cum intersit nuptiis tanquam agnatus, ut antea ostensum. Secundo, ut suam nobis commendaret facilitatem. Sic non contempsit postea Publicanorum convivia, peccatorum consortia, quo declarat, nullas a se negligi occasiones lucrificandi peccatores, sed idem quoq; non aspernatur Pharisaicam sanctimoniam. Sic omnibus omnia fit Christus, ut suos ubique & inter omnes convertat.

18. Tertio, finis erit principalis, ut ipsas nuptias non tantum ornaret, sed etiam approbaret. Ornare civilitatis erat, approbare necessitatis. Hinc enim sua praesentia nuptias honorans & nuptiale convivium miraculo insigni cohonestans, ostendit contra matrimonii damnatores, matrimonium esse sanctum & non tanquam illicitum reprobandum.

19. Quarto, Christus adest nuptiis, ut nascituris quoque consuleret, quod Cyrillus eo adducit, ut intelligeremus, benedici a Christo nascituros ex legitimo matrimonio. Huic sententiae addi potest Christum adeste, ut sua beneficia redemptionis declararet se extendere etiam ad nascituros, sic adest funeri in Nain & defunctos excitat, ut non solum sit Messias tum viventium sed mortuorum & nasciturorum.

20. Ut

20, Ut quinto denique nos doceret, moderatum gaudium, honesta nuptialia convivium, ut & alia Christianam veritatem non excludere. Quis enim sanctulus non reprehenderet, honesta convivium, nisi Christi exemplo reprimeretur, aut quomodo efficacius haeresis Tatiani Marcionisq; refelli potest, quam hoc Christi exemplo? Apostolus quidem jubet flere cum flentibus, sed idem jubet gaudere cum gaudentibus Rom. 12. v. 14. Sic Christus jejunare & vigilare jubet eademq; praestat diligentissime, sed idem interest nuptiis, convivio apud Lazarum, apud Matthæum, apud Pharisæum & alibi.

21. Pergimus jam visis circumstantiis ad ipsam miraculi occasionem, quam praebet 1. vini defectus, 2. Matris intercessio. *Occasio miraculi.* *deficit vinum.* Circa vini penuriam non curiosè quaerendum, fueritne tanta sponsi tenuitas, ut vini copiam convivis exhibere nequiverit, vel num usque adeò intemperanter biberint, initio convivæ, ut omni statim vino absumpto secutus sit intempestivus iste defectus. Sed magis inspicienda divinæ dispositionis Providentia dicendumq; est, nec adeo tenui facultate fuisse sponsum nec ita intemperanter bibisse convivas, sed ob eam causam disponente Deo vinum defecisse, ut occasio esset Christo declarandæ suæ gloriæ, sicuti & de cæco infra cap. 9. v. 3. dicitur, neq; hic peccavit neq; Parentes ejus ut cæcus nasceretur, sed ut opera Dei manifestentur in illo.

22. Sponsum autem & sponsam quin admodum perturbarit, quod in mediis gaudiis vinum deficeret, non est quod quis dubitet. Maria ergo Jesu præsentem inopiam & defectum vini Filio suo denarrat, nihil dubitans, quin ipse per miraculum defectum illum supplere possit. Audierat enim ab Angelo hunc suum Filium esse Dei Filium, quod ipsum à Pastoribus prædicari intellexerat. Similiter concionis Simeonis & Annæ recordabatur & dubio procul toto tempore & infantia & pueritia & adolescentia Christi multa præclara specimina & documenta occultæ virtutis divinæ in ipso animadverterat.

23. Quare Filium suum de illo vini defectu admonet, proque pauperibus his Neogamis intercedit, ut divinâ suâ potentiâ curet, ne dedecore aliquo afficiantur, *Maria intercessio.* *Vinum, inquit, non habent.* Non dicit, vinum omne ebiberunt & intemperanter consumpserunt, sed

sed simpliciter & modestè, *Vinum non habent*. Bibentium intemperantiam non exaggerat, sed sponsi ac sponsæ & eorum qui intererant nuptiis, considerat honorem & necessitatem. Deinde non dicit, Da illis vinum ut bibant, sed vinum non habent. Docemur hinc primùm magis consulere amicorum necessitati, quàm delinquentium exaggerare intemperantiam. Deinde innuitur, fideliter animo satis esse, si defectum rerum necessariorum per preces exponat Domino, ut non opus sit argumentis suasoriis ad flectendum compositis.

24. Quid verò responsi tulit Maria? *Quid mihi, inquit, & tibi Mulier? τί ἐμὸν καὶ σοῦ?* Ubi vocabula hæc explicanda veniunt. Videtur quidem ad verbum sonare, quid hoc, sive ad meam sive ad tuam curam pertinet, quod vinum non habent? Sed hanc non esse posse horum verborum sententiam, probatur ex 1. Pet. 5. v. 7. quod Deo cura sit de nobis imò hæc sollicitudo ad caritatē proximi pertinebat, phrasin ergo hæc optimè ex Scripturæ exemplis dijudicari potest.

25. Jud. 11. v. 12. ad Regem Ammonitarum bello petentem terram Israel Gedeon inquit: *Quid mihi & tibi, quod vastas terras meam*. h. e. quid juris tibi sumis, aut quam causam mecum habes, quod invadis ditionem meam, quæ non ad te sed ad me pertinet? Item 2. Reg. 16. v. 10. Cùm filii Sarnie vellet sine mandato Regis Seimei maledicentem interficere, inquit David: *Quid mihi & vobis?* h. e. non debetis vos in ea ingerere, quæ mei officii sunt, ad me non ad vos hæc injuria pertinet, & meum tanquam regis officium est fontes plectere. Ita Esd. 4. v. 3. cùm hostes dicerent, *edificemus vobiscum*, respōdent Israelitæ, *ἐχθρὸν ἐστὶν ὑμῖν*, id est, nihil commune nobis vobiscum esse debet in edificanda domo Deo nostro, sed nos soli edificabimus. Ita Matth. 8. v. 29. Spiritus immundi superbè ad Christum dicunt: *Quid nobis & tibi Fili Dei*, h. e. cures quæ tua sunt, & nos sine molestia nobis relinque. Habemus n. nostrum peculiare regnum. Hæ sententiæ phrasin propositam optimè explicant, ostenduntq; veram Christi mentem.

26. Costerus pag. 283. præsumit, verba esse obsecratoria, *Mulier quid mihi tecum?* quando in subsidium causæ (ineptè satis) accersit verba dæmonis Lucæ 4. vers. 34. Vide Costere, annon per manifestum absurdum in hoc ipso actu declarandæ divinæ Majestatis

statis Mulieri humiliter supplicem, constituas totius creaturae Dominum.

27. Intolerabilis sanè videtur omnibus Pontificiis illa verborum Christi interpretatio, qua vel repulsa vel lapsus quidam precipitantia & ambitionis in petendo ad Mariam recidat. *Vide Bartsc. tom. p. 138.* adeo ut potius plurimas alias causas excogitent. *Vide Staplet. Cathol.* & quasi secundum digitos supputent merita Mariæ, quando
1. *amanter & humiliter tribus verbis allocuta est Filium.* 2. *Misericordiam & charitatem exercuit.* 3. *Opem & fiduciam impetrandi habuit.* *Vide Grodicius conc. 2.* atq; insuper exclamet Grodicius loco citato: *Coram vobis Deo, ipso protestor, ut omnia potius Mariæ virginis peccata (hui vir fortis) mihi potius imputentur, quam omnium hæreticorum omnia, quæ nunquam fuerunt, opera bona & merita. Abrenuntio istis, amplector illa.*

28. Largimur quidem & ipsi ex Mariæ verbis hoc quod quæritur colligi non posse, laudanda n. est quod amicorum tacta necessitatibus, deinde quod eas ad Christum detulit, quem præsentem opem afferre posse credebat. Ex responsione Christi tamen elicere possumus, in quo potissimum Maria sua hac intercessione peccarit. Quia n. Jesus subditus fuit parentibus Luc. 2. v. 51. ideò Mater auctoritate sua & potestate materna erga ipsum usq; ad trigesimū annū usa fuit & eadem sua materna auctoritate, sicut in privata ipsius vita, ita etiam jam, postquam officium Messia tractare cœpisset, Mariam taceret uti voluisse, præsertim cum illorum res ageretur, qui secundum carnem cognati Christi erant, phrasim in responsione Christi indicat. Deinde quod intempestivè urgebat, quo respicere videtur, quod dicit, *nondum venit hora mea*, nondum n. vini defectus convivis innotuerat. Tertiò, quod interpellatio materna futuro miraculo non nihil poterat afferre suspicionis ac diminutionis.

29. Quod autem responsio Christi correctionem quandam præ se ferat, ex eaque Mariam ratione facti in sua petitione hallucinatam esse, etiamsi illam ab omni malitia intentionis voluntariæ absolvas, colligi possit, res ipsas secundum circumstantias ab Evangelista notatas loquitur. 1. Forma verborum Christi satis dura interrogatione exasperata 2. Corinth. 6. vers. 14. & 15. 2. Denegatio expressa ad minimum quoad circumstantiam temporis & modi

modi à Maria interiti, *nondum venit hora mea.* 3. Admonitio Mariae ad ministros instituta ex humilima sollicitudine, ne illi quoque vel ad monita tergiversarentur, vel Christo quippiam praescriberent, potius autem ipsius purum & absolutum arbitrium cum paratissima subiectione recognoscerent. 4. Ostendant Papistae rationem, cur illam formulam: *Quid timidi estis modica fidei?* unanimiter pro increpatione interpretentur, *Costerus par. 2. conc. pag. 390.* in hac verò nullum increpationi locum relinquunt.

Mulier.

30. Ideoque etiam *Mulierem* non *Matrem* appellat, quia in hoc negotio non vult agnoscere maternum imperium, id est, nihil vult tribuere maternis affectibus, plus aliquid se esse oportere insinuat eo, quod à matre acceperat, jam his ipsis verbis, se Dei Filium esse insinuans & declarare incipiens. Quare ne Matris quidem titulo eam dignatur, eò quod materni septa officii transfiliisset, sed tanquam alienam Mulieris nomine appellat. *Quod generale nomen est sexus non corruptela,* ut docet *Ambros. l. de Instit. virg. & suffragante August. tr. 10. in Joh.* ubi ait: *dicta est mulier secundum femininum sexum non secundum corruptionem integritatis. Non dixit Mater sed Mulier, inquit Euthymius. Significat, ait Beda, se divinitatem, quia miraculum erat patrandum non corporaliter, accepisse de Matre, sed per aeternitatem semper habuisse de Patre.* Sic & *Matth. 12. v. 48.* respondet: *Qua est Mater mea & qui fratres mei.* & *Luca 11. v. 27.* *Beatus venter, qui te portavit, imò beati, qui verbum audiunt & custodiunt.*

31. Ac praevидit Christus quantum superstitiosis cultibus Mariae novissimis hisce temporibus tributuri essent multi, invocando illam, & mediatrix partes ipsi transcribendo. Saluti E. nostrae consulens, futurae superstitioni de advocatione Mariae opposuit hanc sententiam, quia ostendit quantopere abominetur, quando honor, sibi soli debitus, inter se & Matrem quasi facta sortitione aut partitione dividitur. *Beda adversus Erasmus* impudenter inquit; *Christum etiam nunc in dextra Patris debere Matri obedientiam juxta humanam naturam:* & ideò exponunt verba hymni sui: *Monstra te esse Matrem, h. e. Jube Nato & jure Matris impera.* Sed quid Christus respondeat, Phrasis indicat; *Quid mihi & tibi Mulier?* Observetur itaque nihil in precibus tam offendere Christum quàm si sancti, etiamsi Mater ejus sit, admisceatur iis, quae sui solius officii sunt.

32. Sub

32. Subjungit jam denique *rationem increpationis*: *Nondum, Ratio increpationis.* inquit, *venit hora mea.* Augustinus ad horam mortis refert, cum in cruce Matrem agnovit & discipulo commendavit Johan. 7. v. 8. & 19. v. 26. Sed remotior est hæc sententia. Simplicius erit ut more Scripturæ hora intelligatur tempus, comnodum & oportunum ad agendum aliquid, quod tempus à Deo constitutum & ordinatum est. *Rom. 13. v. 11. Hora est à somno surgere, Apoc. 14. v. 15. hora metendi, Joh. 13. v. 1. Venit hora ejus, Luca 22. v. 53. hæc est hora vestra.* Quare ostendit Christus hac responsione matrem decorum hic haut observasse, q. d. intempestiva ades, tempus hoc nondum fert, oportet penuriam vini manifestiorem fieri, ut magis innotescat penuria, sic gratius erit beneficium. Non temerè se aggredi miraculorum docet operationem ad preces Matris aut cognatorum favorem, sed expectare momentum & horam à Deo Patre ab æterno præfinitam. Hoc ipsum oportunum tempus ut horam hanc *Theophylactus* nominat, adfuit paulò post, quando nimirum defectus vini omnibus innotuerat. *Erat enim Patris voluntas, & gloria, ut docet Chrysostomus, tum demum miracula adhiberi, cum de necessitate malisq; hominum ita constaret, ut de omni humano auxilio esset desperatum.* Nam si prius facta, pro miraculis habita non fuissent ac proinde sinem suum non assecuta, adducendi sc. homines ad fidem in Filium Dei. Hanc ob rationem *JESUS* expectabat, ut vini inopia præsentibus omnibus esset perspecta priusquam miraculo vinum suppeditaret.

33. Quid verò Maria ad hoc responsum Filii? Num indignatur & neglectæ obœdientiæ ipsum insimulat? Nullo modo, sed tacitè suam præcipitem incogitantiam agnoscit, & de subsequituro auxilio nihil diffidens ministris injungit, ut ex ipsius præscripto & jussu sollicitè ac reverenter agerent, quicquid esset mandaturus. *Quicquid ipse vobis dixerit, inquit, facite.* Ac notetur, quod in defectu vini Maria ministros non ad se invitat promittens ipsis patrocinium vel auxilium, sed ad Christum ipsos deducit & ablegat. Voluit itaque hoc aureo axiomate concludere & adversarios nostros Pontificios refutare, & docere, non faciendum quid ipsa velit, sed quid Christus dicat. Nusquam enim ulterius in Scriptura sacra vel verbum eam protulisse legimus. Mentio ejus quidem fit, sed quod quædam adhuc locuta fuerit, legisse non memini. Hucusque analysis partis prioris, sequuntur.

QVÆSTIONES.

*Prima. An voto aliquis ad calibatum in perpetuum abjurato con-
 jugio se astringere possit aut debeat, ita ut emisso voto nec possit nec de-
 beat in perpetuum sub pœna æternæ damnationis, in quocunque etiam
 casu, si necessitas flagitarit, remedio conjugii divinitus contra usuro-
 nem & vitandam fornicationem instituto uti? Id vult Concil. Tri-
 dent. p. 3. can. 9. Canon ita habet: Si quis dixerit, Clericos in sacris
 ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos
 posse matrimonium contrahere contractumq; validum esse non obstante
 lege Ecclesiastica vel voto, anathema sit. Verùm hoc affirmatur à Je-
 suitis non ex Scripturis divinitus inspiratis, sed ex hominum præ-
 sumptis sententiis & decretis, ideoque etiam non semitas Do-
 mini rectas in Scriptura præmonstratas, sed potiùs anfractus
 & Labyrinthos viarum humanarum ingrediuntur. Nos itaque
 potiùs ipsam Pauli sententiam de calibatu suscipiendo videbimus,
 qui satis manifestè de quæstione proposita 1. Corinth. 7. disserit,
 quo loco genus hominum constituit duplex: Alterum est, quod
 habet donum tale, ita ut possint flammam libidinis restringere vel
 reprimere & cohibere. Alterum, quod continentia donum non
 habet. Quod ad posterius attinet, dicit ei v. 9. Calibatum nec præci-
 pi nec consuli, sed præceptum se habere Domini, ut, qui se non conti-
 nent, contrahant matrimonium, Melius enim est nubere, quàm uri.
 De priori verò longè alia est sententia Pauli ac Papistarum & Ca-
 nonis Tridentini. Ille sententiam simpliciter profert, eos, quibus
 à Deo datum est, ut possent verbum de calibatu capere, non debere
 querere uxorem, si soluti sint, v. 27. interim tamen v. 28. de iisdem
 dicit, quod si & uxorem duxeris, non peccasti, & si virgo nupsit,
 non peccavit. Afflictionem tamen in carne habebunt ejusmodi. Ubi
 vides, quod Paulus hoc dicit, Eos, qui donum continentia ha-
 bent, & tamen contrahunt matrimonium, accersere quidem sibi
 afflictiones carnis, conscientiam tamen in Spiritu coram Deo
 ipsis relinquit liberam, quod scilicet nubendo non peccent. Pa-
 pistæ verò non tantùm non discernunt inter hæc hominum gene-
 ra, sed promiscuè etiam omnib. Clericis, (ut loquuntur) sub pœna
 mortis æternæ, testis est Concil. Trident. sanctio, interdunt. Papa
 Syricius & Innocentius Sacerdotes ex propriis conjugib. generantes
 sobolem contumeliosè appellant Sectatores libidinum, & Præce-
 ptores*

prores vitiorum. Sic Pistorius in *Beweiser*: *Conjugium tam non prohibemus, quam Deus prohibuerit vinum, à quo tamen iussit abstinere Sacerdotes tempore sacerdotalis officii. Levit. 10. v. 19. Non n. prohibemus absolute conjugium sed ad certam rationem & modo. Ecclesia n. requirit votum castitatis voluntarium, postea v. urget voti impletionem p. 657. videri vult Pistorius, quod Paulo non contradicat, dum Ecclesiam tantum voluntarium votum requirere ait: sed protestatio facta est contraria, imò reliquis omnibus. Papistis, qui satis ostendunt quale votum requirant Jesuitæ, dum videlicet ad unum omnes, prohibent Sacerdotibus nuptias, imò votum ab iis extorquent, quo se obstringant, quod non velint inire matrimonium. Vide Canonem Tridentinum Presbyteris n. Diaconis & Hipodiatonibus nunquam licuit ex uxore ante sacrum ordinem ducta filios procreare, Episcopi nunquam nisi vel cælibes vel ab uxoribus abstinentes fuerunt consecrati. Sic loquitur qui novit bellare minus. Potestne, Pistori, votum castitatis dici voluntarium, quando exigitis id à persona non sui juris, sed plerumque à pueris & puellis, quæ vel parentibus eripiuntur & voto coacto & non intellecto obstringuntur, vel ab ipsis parentibus propter curam victus & sustentationem in monasteria detruduntur, vel allecti & persuasi illecebris puerilibus irretiuntur, ut propter gulam & ventrem inconsiderati voveant, quod deinde votum semel factum ad maturitatem iudicii pervenientibus, & tanquam temerarium animadvertentibus, revocare haut licet. Testor praxin vivam. Paulus verò non audeat cælibatum tanquam necessarium etiam illis, qui donum habent, injungere, nec audeat peccatum dicere etiam illi, qui donum continentie habent, contrahant matrimonium, sed inquit, *propter commoda & utilitates cælibatus existimo vobis (conscientia tamen manente libera) bonum esse sic manere. item v. 40. melius facit & beatior erit, si habens donum, sic permanserit juxta meam sententiam.* Non ergo præcipit sed conscientie liberum relinquit, tantum suadet & cõsultat, ut propter utiles fines illi, qui donum continentie habent, si voluerint, in cælibatu maneat. Jesuitæ a. errantes veterum Encratitarum, Taciani, Manicheorum revocantes non tantum magnæ hominum parti suis nempe Monachis, Monialibus & Sacerdotibus. Conjugio (quod tamen Sacramentum esse volunt) interdunt, sed ipsi quoque ordini iniqui sunt, quod dictum Rom. 8. v. 8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, ad cõjugium ineptè detorquent, atque*

atque eos qui in conjugio vivunt, immundos contaminatos & carnales esse scriptitant, qui nec Deo placere, nec deprecantes à Deo exaudiri possint. Paulus v. 35. addit necessariam & utilem cautionem, quomodo nimirum cœlibatus sit suscipiendus, *hoc autem dico ad id, inquit, quod vobis ipsis conducibile est, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi*, quasi dicat, qui vitam cœlibem agere instituit & sibi proposuit, si postea experiatur se à Satana periculosè tentari, ustionibus pollui, in periculo fornicationis versari, invocationem impediri, exercitia pietatis turbari, flammis libidinum, quas lucta oratione & diligentia restringere & reprimere non potest, is si in hoc casu ad servandum cœlibatum, quem suscepit, adigitur & cogitur, ei profectò contra voluntatem & prohibitionem Pauli laqueus injicitur: Qui verò obstinatè in tali casu cœlebs conatur manere, is sibi ipsi contra mentem & inhibitionem Pauli laqueum induit. Canon verò Tridentinus, si semel deliberato proposito cœlibatum suscepisti, etiamsi laqueus tibi vel sit vel postea fiat, tamen in perpetuum sub poena aeternae damnationis non potes inde liberari. *Si enim quis dixerit, posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam noverint, habere donum, anathema sit.* Et talis est convenientia inter Jesuitas de hac unica tantùm quaestione & ipsum Deum per Paulum loquentem. Sed scrupulus forsan remanet Jesuitæ, *Nonne peccatum est votum jam emissum non servare?* Deut. 23. vers. 23. Eccles. 5. vers. ult. Resp. Deum non omnium votorum sicut etiam non omnium juramentorum qualiacunque sint, & quocunq; vergant, impletionem sub interminatione mortis aeternae exigere, ut de juramento Saulis I. Reg. 14. v. 24. Davidis I. Reg. 25. v. 22. Herodis Matth. 14. v. 7. Cùm ergo opiniones votis annexae sint impiae, ut jam vidimus, nequaquam cum hujusmodi impiis opinionibus servanda sunt vota. Interim tamen non leviter aut temerè ab eo, quod jurejurando promissum, recedendum esse largimur: Adhibenda ergo diligentia, conatus, lucta, addendae preces, quod si Deo juxta Pauli consilium & praescriptum. Si verò non poteris continere & versaris in periculo fornicationis (consilium est Magni Chemitii) tum Deus ipse te absolvit, non enim vult tibi laqueum injici,

injici, de quo ante. Et si in genere vovisti castitatem, non sequitur te abjurasse conjugium, qui enim in conjugio servat castitatem, dici non potest, peccare contra votum castitatis.

QVÆSTIO SECUNDA.

An qui se Deo devoverunt amicorum negotiis secularibus implicari possint? Si Jesuitæ per res seculares intelligerent ea opera, qua tractant filii hujus seculi, cum quibus conformari secundum Pauli exhortationem Rom. 12. v. 2. 2. Cor. 6. v. 14. non decet, facilis foret inter nos, & Costerum part 2. Conc. p. 305. quæstionis negantem tenentem, consensus. Verùm quia ipse & cum eo ad unum omnes per devotos Deo non intelligant tantum sincerè pios, sed Monachos religionis electitio voto constrictos, per seculares, Laicos dicant, qui licet vera fide & pietate præditi, tamen politica munera obeunt vel externis laboribus exercentur; Res seculares, ijs sunt tum omnes quas tractant Laici etiam pro ratione divinitus instituti officii, tum auxilia, quibus in communi vita & quotidiana vitæ necessitatibus opus est, maximam pariunt explicationes hæc dissensionem. Quod ipsum apparet ex verbis Costeri citato in loco, dum exemplo mentem suam hunc in modum declarat. Unde, inquit, cum ad quendam in solitudine Monachum, frater ejus secularis auxilii causa accessisset, ille eum ad tertium fratrem ablegavit, respondens, hunc abiisse, respondit Monachus, & Ego seculo mortuus sum. Sed ne Costerus sententiæ negativam planè absque ratione statuisset, videtur, ex verbis Christi: Quid mihi & tibi mulier? elicit contra stylum reliquorum Jesuitarum, qui manibus pedibusque aliàs laborant, ne per hæc verba dissensus Christi à matre vel aliqua dene-gatio admittatur. Verùm enim verò, quid hac lege aliud vult Costerus, nisi ut legem charitatis regiam Jac. 2. v. 8. è medio tollat? Quid est si hoc non est mortuum esse ad opera charitatis? juxta illud Judæ v. 12. Sed quomodo glossa hæc ad exemplum Christi & 49. tamen negotiis secularium nempe convivio nuptiali non solum affuit, sed etiam auxilium seculare præstitit (nota stylum Jesuiticum) vini sc. aliquot amphoras sponis & convivis donavit. Sed nec omittere possum Costerum sui planè oblitum & sibi in hac quæstione è diametro contradicere in 3. Epiph. pag. 330. Si in spiritualibus,

libus, inquit, occupari exercitiis, precibus, meditatione, & proximi tunc sentis necessitatem, deponere de manibus omnia, ac ad ipsius opem accurre. Hoc enim Deo meditationibus tuis gratius, adeo ut etiam colloquium cum B. Virgine tunc deferendum sit.

QVÆSTIO TERTIA.

An conjugium sit Sacramentum? Septem statuunt Papistæ Sacramenta N. T. nec plura nec pauciora. Sic enim Concil. Trident. sess. 7. can. 1. Si quis dixerit N. Legis Sacramenta aut plura aut pauciora esse quàm septem, videl. Baptismum, confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam Vnctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliud quod horum non esse Sacramentum, Anathema sit. Huic subscribunt Mag. sentent. libr. 4. distinct. 2. Synod. Petrocoviens. cap. 33. Bellarminus libr. 1. de Sacram. in genere cap. 13. Verùm hoc Jesuitarum commentum temporibus Hugonis & Petri Lombardi primum percrebuit. Lombardus enim primò hunc numerum septenarium posuisse legitur, sed cum aliàs in colligendis Patrum testimoniis admodum felix & diligens sit, omninò nulla de eo vetustatis testimonia recitat. Tùm etiam nullum Concilium extat vetustius & antiquius Florentino, ex quo hic numerus probari & sanciri possit. Unde parenter, omninò alium hujus numeri septenarii silentium apud vetustiores & probatiores authores fuisse, quod probè notandum. Cum autem idoneis vel documentis ex Scriptura vel testimoniis ex vera antiquitate destituantur, tam futiles & elumbes congesse re probationes, ut jam vel earum ipsosmet pudeat. Ita Iohannes Ludovicus Vivaldus in lib. qui inscribitur, Aureum opus de Contrit. f. 128. magnam copiam demonstrationum effudit. Convenienter, inquit, cœlestis Medicus septem instituit Sacramenta, quia septem sunt vulnera, quibus infirmatur humanum genus contra triplicem videlicet culpam & quadruplicem pœnam. Deinde ideò sunt septem Sacramenta, quia disponunt nos ad septem virtutes habendas. Nam Baptismus est Sacramentum fidei, confirmatio spei, pœnitentia Iustitiæ, Eucharistia Charitatis, Extrema Vnctio perseverantiæ, ordo prudentiæ & Matrimonium temperantiæ. Alii aliàs attulere probationes à septem libri sigillis Apocal. 5. v. 1. A septem tubis Angelorum Apoc. 8. vers. 2. A septem Panibus, quibus sedavit Christus famem turbæ Matth. 15. vers. 14. Verùm si ita more Pythagoræo à numerorum proportione nume-

numerando progredi liceret, utiq; daretur unum Sacramentum, quia unus Deus, Christus, Spiritus: Duo, quia duæ tabulæ Mosis, item duæ naturæ in Christo. Tria, quia tres personæ Trinitatis, &c. vel quatuor aut quinque millia, quia tot homines Christus miraculosè pavit, &c. Sed Paul, inquis, Eph. 5. v. 32. vocat conjugium Sacramentum. R. Versio est vitiosa, in Græco n. est vocabulum Mysterii non Sacramenti. 2. Est fallacia à dicto secundùm quid additum simpliciter. Non enim dicit Paulus ipsum conjugium esse Mysterium, sed loquitur determinatè, Loquor 2., inquis, de Christo & Ecclesia. Quid autem in speciali significatione (generali n. significatione vocis dici posse septè Sacramenta inficias nō inus) & in Ecclesia absolutè & propriè loquendo Matrimonium nō possit dici Sacramentum, probamus. 1. quia caret pmissione justificationis. 2. Quia hac ratione fuisset Matrimonium Sacramentum etiam in V. T. quod ipsi Pontificii non concedent. 3. Quia alias extra Ecclesiam essent Sacramenta, quod absurdum. 4. Quia caret visibili Elemento. 5. Quia nulla fit ibi applicatio gratiæ, &c. Ex his omnibus quisque sani ac liberi iudicii facillimè percipere ac perspicere potest, quàm rectè & orthodoxè Pontificii septenarium numerum Sacramentorum, verè & propriè sic dictorum, tradant ac defendant. Interim quidem si Disputatio in hoc tantùm cardine verteretur matrimonio tribuendam esse appellationem Sacramenti propter hanc causam, ut esset commonectio de tota illa doctrina, de dignitate matrimonii, utque contra omnes doctrinas dæmoniorum appellatio Sacramenti, quasi in illustri loco collocaret conjugium, & moneret præclariùs & augustiùs de Matrimonio loquendum & sentiendum esse in Ecclesia, quàm apud Ethnicos, quibus doctrina verbi Dei ignota fuit, utq; ipsos conjugatos officii sui admoneret, & in cruce consolationem monstraret. Si hoc, inquam, quæreretur à Pontificiis, posset de appellatione conveniri. Quod verò conjugium propriè loquendo sit Sacramentum, quodque constitutiva Sacramenti habeat, illud minimè concedi potest, ut antè probatum.

QVÆSTIO IV.

An omnia debeant esse communia? Non omnes Anabaptistæ, sed saltè inter ipsos *Hutteriani*, ut vocant, reperiuntur, q. bonorum communionem tanquam rem necessariam & ab Apostolis in primitiva Eccle-

Ecclesia mandatam & constitutam urgent. Contradicunt his fratres proprii, illi, quos *Helveticos fratres* appellant, & utraque pars hujus sectæ alterius sententiam damnat & rejicit. Notetur autem statum controversiæ non esse, an quis salvis legibus politicis pro lubitu cum aliis sua bona partiri velit, sed hoc quæritur, *utrum Christianus esse non possit, qui sua non in commune conferat, ita ut NECES- SARIÒ Christianus sua in publicum conferre debeat?* Nos statuimus & docemus, neminem teneri ad hoc, ut in publicum conferat suas facultates, sed retinere posse salvâ conscientiam unumquemque suas facultates proprias & eas pro lubitu citra tamen Dei contumeliam aut nullum abusum dispensare, neque communionem bonorum necessariam ulla ratione putamus. Quia Patriarcharum & aliorum Sanctorum salutem divitiarum non obfuerunt. Nec enim Christus Nicodemum ad se noctu venientem & de via ad vitam æternam quærentem jubet in commune conferre facultates ac oves, sed aqua ac Spiritu renasci Johan. 3. vers. 3. Sic Zachæo excipienti Christum cum gaudio non injungitur, ut bona ac facultates suas in commune conferat, sed ipse *ultrò* dimidium bonorum non in commune, sed pauperibus se collaturum promittens, audit à Christo hæc verba: *Salus hodiè domui huic facta est, eò quod & ipse filius sit Abrahæ,* id quod fide fieri Apostolus testis est. Sic nec Cornelio baptizato Petrus, nec Lydiæ purpurarum venditrici concione Pauli conversæ ille communionem bonorum imponit. Quod ad primam N. T. Ecclesiam attinet, fuit illa communio non juris cõmunis, sed facti singularis tantum, nec ex necessitate absoluta, sed ex liberrima voluntate pro ratione ipsius temporis, tum metu periculi ereptionis bonorum ab Ethnico & impio Magistratu: tum amore & desiderio audiendi verbum Dei & conversandi cum Apostolis suscepta: Non autem ex necessitate credentes ita contulisse dono bona, docet Petrus *Actor. 5. v. 3.* *Anania, inquit, cur implevit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto & fraudare de precio agri? Nonne manens TIBI manebat & venundatum in TVA erat potestate?* Quod si itaque in Ananiæ potestate fuit, pecuniam, quam pro agro acceperat, integram retinere, vel integram ad pedes Apostolorum conferre, constat ipsum nihilominus potuisse vivum Ecclesiæ membrum manere, quia illa bonorum cõmunio non mandati & præcepti, sed libertatis erat Christianæ: Quemadmodum de multis credentibus illorum temporum legimus, quod bona sua in commune

mune non contulerint, sed sibi retinuerint, ac tanquam propria possederint, ut Coriarius, Maria mater Johannis, Lydia, Philippus Evangelista & Christiani Antiocheni, prout quisque *habebat* fratribus indigentibus in Judæa subsidium miserunt.

QVÆSTIO V.

*An mulieres sint homines? Negat hoc scurra iste in Disputatione Mulieres homines non esse, interque alia probationem ex nostri Evangelii versu 4. defumit dum th. 39. inquit: Christus ad propriam matrem dixit: Mulier quid mihi tecum? Si ergo cum matre, quæ illum genuit, nihil est commune illi, multò minùs cum aliis mulieribus. Verùm quis sanus ex his Christi verbis talem conclusionem deduxerit, Christus docere voluit gravissimum esse peccatù Deo præire sive præscribere velle. Ille verò sexum muliebrem, quod aversetur Christus, colligit. Christus à carnali matris suæ respectu ad contemplandam Dei gloriam in futuro miraculo convivas revocavit. Tu autem Fanatice, quia Christo in hoc miraculo nihil commune cum matre carnali. E. nec habere communem humanitatis naturam deducis. Taceo quod occurrere voluit horrendis Pæpistarum superstitionibus; quibus Mariam ei usque evexerunt, ut publicè illi accinerent: *Roga Patrem, jube natum & jure Matris impera.* Verùm quid opus refutatione, siquidem ipse thes. 41. concedas Mariam esse hominem, hac tamen limitatione, *quod non naturâ, sed gratiâ sit,* ubi notabis obiter, quod antea simpliciter negaras, hic te cum limitatione concedere. Quæ limitatio tamen nulla, unde enim hanc probabis? E. nobis naturâ hominibus non erit constantem certitudo promissionum divinarum de Messia nascituro ex semine Abrahamæ, si Maria ex hominum numero erit exautoranda vel saltem ex gratia homo fuerit? Quomodo gloriari poterimus Filium Dei esse carnem de carne nostra, & os ex ossibus nostris? Quid fiet dulcissimo vaticinio Jacobi Patriarchæ Gen. 49. vers. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, neq; Legislator è medio pedum ejus, donec veniat* יְהוָה *secundina ejus i. filius in secundis conceptus, Filius i. e. Messias, cui gentes obœdient eumque Servatorem suum agnoscent. Ejus i. e. Jehudæ, ut & in præcedenti membro è medio pedum ejus nempè Jehudæ, ut Chaldæa paraphrasis**

utraq; & Hebræi interpretes unanimiter consentiunt, Quod autem reliquæ mulieres æquæ ac Maria naturâ homines sint, facile apparet ex veritatis simplici ac dilucida narratione, quæ habetur in V. ac N. T. Nam creavit Deus hominem in imagine sua, in imagine inquam Dei creavit eos, Marem & Fœminam utrumq; hominem sexto die. Ad utrumque etiam conjunctim pertinet benedictio propagationis. Non legistis, inquit Dominus, quia, qui fecit ab initio hominem, masculum & fœminam fecit. Item, vocavit nomen eorum hominem, quo die creati sunt, Item in bello jussu Dei contra Midianitas gesto Virgines tantum ex hominibus servantur. Agnosce, ait Maccabæa mater ad filium, Deum omnia fecisse ex iis, quæ non erant, & nos homines ita factos esse.

P A R S S E C U N D A.

Hydris.

34. Nuptias hæcenus dixit easq; afflictas, quia vinum deest, & eò magis, quod intercedenti difficilior visus est Christus; jam ad narrationem miraculi progreditur Evangelista, quam sanè, ut rei per se mirandæ lucem adderet, satis diligenter texuit. Quoniã opus erat hydriarum, in quibus ex aqua factum est vinum, aliquã facere mentionem, simul visum est & rationem ostendere, propter quam præstò in his nuptiis fuerint, ne dolo quodam & ex destinato ab his, qui ad Christum pertinebant consilio illuc quisquam invecetas suspiceretur. Dicit ergo Evangelista in illo loco, ubi convivium nuptiale celebrabatur, hydris positas fuisse, Hebraicum ὑδρια quod generale est nomen vasis, Græci reddiderunt ὑδρια, Latine dici potest aqualis, quod aquis hauriendis & recipiendis destinatum est. Nam aliàs etiam de vasis farinae dicitur, Reg. 17. v. 12. & hoc pertinet ad illustrandum miraculum. In dolio enim vinario etiam vacuo potuisset reliquiis fecium aliquid tribui, in his autem hydris vinum nunquam fuit. Vulgares a hydris fictiles fuisse, inde colligitur. Confringuntur enim Jud. 7. v. 20. Eccles. 12. v. 6. fuisse etiam portatiles ostendit historia Gen. 24. v. 15. Jud. 7. v. 20. Joh. 4. v. 28. Hæ v. fuerunt lapideæ, & tantæ magnitudinis ac capacitatis, ut loco non moverentur, sed positæ essent, non portarentur ad hauriendum aquam, sed aqua in illas inferretur, nec postea Christus dicit: Infundite inde, sed haurite inde & afferte Architrictino.

Purificationes, Judæo.

35. Positas a hydris fuisse secundum purificationem Judæorum, inquit Evangelista. Variarum apud Judæos fuerunt genera lavationum, quas vocant Baptismata, & horum quædam erant legitima ac

ac divinitus instituta, qualis est illa Expiationis lavatio, de qua scriptum est in Num. c. 19. Sunt & lavationes in libro Levit. c. 15. quæ quid adumbraverint, non est hujus loci explicare. Quædam verò fuerunt ab hominib. excogitata. In ritibus enim religionis non solent homines esse contenti divinis institutis, sed quo videantur religiosiores, sua addunt figmenta, ut quod Deus, pro ipsorum opinionone, inchoavit tantum, ipsi absolvant: Talis lavatio fuit, cujus fit mentio apud Marcum c. 7. v. 8. Luc. 11. v. 39. & Matth. 23. v. 25. ubi non manus tantum, sed urcei, calices, patinæ, cultri, &c. Sæpius purificabantur. Quare juxta hanc consuetudinem positæ erant his in nuptiis sex hydrinæ, ne opus esset semper ad flumina recurrere, quæ convivio quantumvis magno sufficere judicabantur.

36. Harum singulæ capiebant binas aut ternas metretas, i. *Mensura hydriarum.* *ἡμετρα* dos sic n. vertit Plinius hoc nomen ex Dioscoride) est q; *ἡμετρα* a metiendo deductum, mensuræ certæ ejus, quæ Hebraicè dicitur *ἡμετρα* batus Jes. 5. v. 10. Batus autem sex Hin. Hin duodecim Log. Log sex ova gallinacea communia. Ac proinde *ἡμετρα* seu metreta continet 432. ova communia. Si jam ponas, hydriarum illarum tres cœpisse duas metretas, tres alias tres metretas, continerint in universum quindecim metretas, i. e. 6480. ova communia, i. e. duos vini modios plus minus constante modio 96. lotis. Vel nostro modo loquēdi, continet metreta decē congios h. e. 60. sextarios, qui si ducantur p 15 erunt 900. sextarii, qui faciunt nostram mensuram 110. *ἡμετρα* h. e. fermè sechs Eymet vel drey Ohm Wein. Vide Harm. Chem. Clavem. Flacii Francif. Lucæ in Joh. & alios.

37. Cum igitur nunc Christus tempus & horā auxilii ferendi & *Hydriarum impletio.* miraculi exercendi advenisse intelligeret, præcipit ministris, ut hydrias illas aqua impleant, implete, inquit, hydrias aqua. Mandat hoc, non, q; non poterat sine aqua vinum creare, vel etiam aquam solo verbo absq; opera ministrorum in hydrias infundere. Sed utitur hac externa materia, alienoq; ministerio, partim ut potentiā suā nō tantum creatione ex nihilo, verum etiā rerū creatarū multatione declaret, partim ut tanti miraculi testes haberet & miraculum per ministros illustrius fieret. Nam qui infuderunt aquam in hydrias, testimonium dixerunt, se non vinum, sed aquam infudisse, quod & ipse hydriarum usus probat. Non enim positæ erant ad capiendum vinum, sed aquam, & tamen mox hauritur ex iis vinum.

38. Mini-

Ministorum
obsequium.

Aqua mu-
tatio.

Architri-
clinus.

38. Ministri autem memores verborum Mariæ (quæ jussit ut quicquid diceret Christus, statim obœdienter expedirent) huic mandato Christi obsequuntur, & hydrias ad summum usq; implent. Dum autem ministri aquas hauriunt Christus interim non ociosus est, sed divinâ suâ potentiâ in vinum eas convertit, non subtrahens aquas & in earum locum vinum substituens, sed verè illas ipsas aquas in fonte haustas immutans, & substantiam earum in vini substantiam convertens.

39. Quo pacto dicit Jesus ministris, *haurite nunc & ferte Architriclino*, quæ græca vox est, nomen habet à Lecticis, in quibus convivæ mensis accumbebant. κλίνη enim à verbo κλίνω reclino, lectum significat, in quo reclinare & recumbere aut etiam decumbere vel erecti sedere possumus. Et τρικλίσιον sive τρικλίσιον appellationem accepit ex frugali antiquitatis consuetudine. Tres n. circa mensam lecticæ erant, in quibus totidem convivæ discumbebant, sicut ostendit Juvenal, ubi inquit: *Aliquando Clientem adhiberi mensæ tertiam ne vacuo cessarent culcitra lecto*, & Horatius aliquoties meminit de tribus convivis, Plautus verò biclinium vocat, ubi duo tantum, Adolescens sc. cum amica, discumbebant. Postea verò per synecdochē non lecticæ tantum & mensa, sed & locus ipse, ubi mensa cum lecticis stabat, cœpit vocari Triclinium, & per *ἐκτασιν* non tantum locus angustiior, qui tres tantum lecticas capiebat, sed quodvis conclave, in quo quantumvis magna convivarum frequentia discumbebat, accepit appellationem triclinii, sicut citatur exemplum ex Quintiliano de Triclinio, quod super convivas corruit.

40. Huic Architriclino vinum afferri Christus jubet, partim quia sobrius erat (quia cui cura mandata est curandi convivium, is cæteris bibentibus abstemius esse consuevit) partim quia saporum peritus majore fide pronunciare poterat de vino, quam cæteri convivæ, quorum palata jam multo vino poterant absorduisse, partim etiam ut miraculum redderetur magis conspicuum. Si enim primum ad sponsum vel ad convivas delatum fuisset vinum, putassent illud administrari per Architriclinum & illius haerētus asservatum esse studio. Architriclinus verò sciebat nihil superesse vini, idè commodum erat ad hunc primò deferri vinum.

41. Ostendit autem Evangelista, Architriclinum interea, dum ministri

ministri hydrias implerent aqua occupatum fuisse sollicitudine
forsan & agendis consiliis, qua ratione praesenti inopia succurri
posset. Cum ergo ex inopinato vinum ipsi praegustandum offer-
retur, existimavit sponsum aliunde curasse vinu illud afferri. Mi-
nistri enim nihil dixerunt unde haussissent. Advocat itaq; spon-
sum & cum eo quasi expostulat, quod hoc nobilissimum vinum
postremo loco curasset apponi. Erat enim ut ex verbis Architri-
clini liquet Judaeis in more positum, ut sub initium convivii opti-
mum, quodvis vinum convivis & hospitibus propinarent & post
ea absoluto propemodum convivio, id quod deterius esset. *Omnia*
homo, inquit Architriclinus, *primò bonum vinum* (καλόν, id est, κρείττον,
ut apparet ex antithesi τὸν ἐλάσσον) *ponit, & cum inebriati fuerint, tunc*
id, quod deterius est. Ministri ergo testes fuerunt aquam in vinum
conversam, Architriclinus testis fuit vinum fuisse optimum.

42. Nec per verbum μεθύσασθαι intelligenda hoc loco beluina
vini ingurgitatio, sed liberalis vini potus, quatenus iste cor homi-
nis exhilarat. Sic $\Gamma\Delta\Psi$ quod Genes. 43. vers. ult. sumitur inebria-
tus fuit, id Hagg. i. v. 6. significat sitim explere.

43. Quemadmodum autem hoc miraculum valdè luculen-
tum in tanta hominum corona factum, ita Evangelista id majo-
rem in modum commendat. Primò quia hoc fuerit quasi primordium
signorum Iesu. Unde patet falsum esse librum de miraculis infantie
Salvatoris. Si enim in infantia quaedam edidisset miracula, mul-
to plus habuissent admirationis & celebritatis, utpote à puero fa-
cta, quam quæ postea edita sunt, ut non potuisset gloria ejus Israë-
li incognita esse, propter quam tamen manifestandam dicit Ba-
ptista se missum esse Johan. 1. vers. 31. Deinde repetit locum in
Epilogo, ubi editum fuerit, in *Cana Galilææ*. Tertiò finem addit
cur sit editum, *ut manifestaret gloriam.* Deinde *ut crederent in*
eum discipuli ejus. Erant enim recenter vocati à Christo, rudes ad-
huc & minimè animo confirmato. Animadverterant quidem
Christum esse Messiam Patribus promissum. Sed illis adhuc
multa poterant occurrere impedimenta. Quare hoc miracu-
lo plenius confirmatos ait, quasi dicat haecenus quidem secuti
sunt Christum, sed jam plena fide ex illo miraculo secuti sunt
eum. Sed examinemus quaestiones dubias.

D

QVÆ.

Quæstio I.

An lex possit adimpleri eiq; ad plenum
satisfieri?

Præterquam, quod Pharisæis hoc persuasum fuisse manifestum est ex Matth. 19. v. 20. Luc. 10. v. 25. Omnia hæc servavi à juventute mea, quid adhuc mihi deest? & Luc. 18. v. 11. 12. gloriatur Pharisæus, se ultra mandata Dei multa supererogasse, etiam hodiè præter Pelagianos Pontificii impiè decernunt, posse hominem reatum & justificatum perfectam legi divinæ præstare obedientiam. Ex verbis enim Mariæ, Quodcumque dixerit vobis, facite: Stapletonus in Promptuario tam Catholico ad hanc Dominicam 1. 2. quàm morali ad hanc Dominicam. 1. 4. deducere hoc ipsum conatur: Locus, inquit, tractandi contra hereticos integram & plenam omnium Christi mandatorum observationem, juxta egregium beatæ Virginis documentum, quàm hodiè illi impossibilem esse ore blasphemus ajunt: Hanc sententiam clariùs & prolixius proponit Concil. Trident. part. 1. cap. 11. cum inquit: Nemo quantumvis justificatus liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet; Nemo temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis, cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave & onus leve. Et in Canone ejus: Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit. Sed quia momenti hæc controversia, quæ nisi rectè decidatur & explicetur non rectè primò tradi, intelligi aut usurpari potest doctrina Scripturæ, de agnitione & confessione peccatorum, quæ etiam in Sanctis in hac vita hærent & manent. Secundò puritas articuli justificationis non potest retineri. Tertiò ipsa doctrina de bonis operibus non potest rectè tradi, Pharisaicum hoc dogma de possibilitate impletionis legis placet aliquot argumentis ordine recitandis evertere. Refutatur itaque primò apertis Scripturæ testimoniis: Act. 13. v. 38. ab omnibus, quibus non potuistis justificari per legem Moysi, Act. 15. v. 10. iugum quod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus Rom. 8.

Rom. 8. v. 9. *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus mittit Filium suum in similitudine carnis peccati, &c. ibidem vers. 1. Quod sapit caro inimicitia est adversus Deum. Nam legi Dei non subjicitur, neque enim potest. Aut ergo justificati carnem plane exuerunt, quod absurdum est, aut si & his caro tribuitur de ejusdem sententia concedatur necesse est, quod sit inimicitia adversus Deum, & quod legi divinæ non modo non subjiciatur, sed ne possit quidem, ut Apostoli verba sonant, subjici. Sic ad Gal. 3. v. 21. Si data fuisset lex, quæ vivificare posset, verè ex lege esset justitia, sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut ex fide promissio Christi daretur credentibus. Objicit forsitan Jesuita hæc Scripturæ testimonia de non renatis intelligenda fore, age probabimus etiam renatos dici peccatores post factam justificationem. Ubi enim est *ἀνομία*, i. e. legis transgressio, ibi est peccatum, & si peccatum legis transgressio, utique peccator est legis transgressor argumento à conjugatis deducto. Jam v. etiam renati sunt peccatores, & quidem in medio novæ obœdientiæ cursu. E. etiam erunt legis transgressores & quidem in medio illo statu novæ obœdientiæ. Minor probatur Scripturæ exemplis, ubi sanctissime quiquam semper deprecati sunt severitiam Dei judicium, quotiescunque de personali seu universali justitia ageretur ut Job. c. 9. v. 2. & 3. inquit. Verè scio, quod ita sit & quod non justificatur homo comparatus Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum de mille, & v. 11. sibi id applicat; Ecce si preterierit me, non videbo eum, si muratus fuerit, non intelligam eum, &c. Ita cōquestus sanctissimus Jobus, de quo tamen c. 2. Job. v. 3. Dominus dicit ad Satan: Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo, & adhuc retinens integritatem suam? Sic David homo renatus & vir secundum cor Dei canit Psal. 19. v. 23. Delicta quis intelligit? ab occultis meis libera me, Sic Psalm. 38. v. 5. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus grave graviores fuerunt mihi. Et quid respondebunt Pontificii de Isaia viro & Propheta Dei sancto renato & justificatione, qui c. 6. v. 5. visione cœlesti territus, inquit, Væ mihi quia obtrivi, & alia adducere exempla, sed quia ex his testimoniis, cum de similibus fieri possit judicium, perspicuum est, etiam justificados esse peccatores, relinquatur esse illos divinæ legis transgressores & punde falli*

falli Pontificios, qui justificatis legē Dei observatū possibilem esse
dicunt. Præter hæc autem Scripturæ testimonia restant adhuc
firmissimæ demonstrationes pro nostra sententia confirmanda in
scriptis Apostolicis, neminem scilicet in hac vita legi perfecta ob-
bedientiâ posse satisfacere. Prima est ex collatione legis cū nostra
natura corrupta desumpta: ita argumentor. Qui perfectè cupit im-
plere legem ei necesse est, ut perpetuo tenere Dominum Deum suū
diligat ex toto corde, tota anima, tota mente, totisque viribus,
proximum v. (cujus nomine quivis homo etiam inimicissimus
notatur Matth. 5. v. 25.) ut semetipsum. Nemo autem omnium
renatorum potest tanta perfectione diligere Deum, nec potest
proximum, suos præsertim inimicos, intimo illo caritatis affectu
& perfectionis gradu prosequi, quo seipsum complectitur, quod
tam manifestum est, ut à Pontificiis etiam nulla ratione negari
nulloque colore obscurari queat. Ergo nullus omnium renato-
rum aut justificatorum valet in hoc seculo Dei legem adimplere.
Altera demonstratio sumitur à missione & victima filii Dei, qua
nihil opus fuisset, si homo legem implere potuisset. Roman. 8. vers.
3. nam quod impossibile erat legi, &c. Deus filium suum mittens damna-
vit peccatum. Galat. 2. vers. 21. Si per legem justitia ergo gratis Christus
mortuus est. Sic Matth. 5. vers. 17. Veni, inquit Christus, implere le-
gem. Quod ad instantiam Stapletoni ex Evangelio nostro dedu-
ctam attinet, mira videtur consequentia, quā per febrim quidem
fortè alius quispiam Christianus in illis verbis nunquam animad-
vertisset. Quæ enim consequentia, facile potuerunt servi exple-
re mandata Christi in haurienda aqua. E. omnia mandata Dei,
etiam quæ intrinsecam & perpetuam perfectionem cordis requi-
runt, perfectissimè impleri possunt à nobis? Sed ad alteram
quæstionem.

Quæstio I I.

*An cooperatio nostra ad Dei beneficia conse-
quenda requiratur?*

Non minùs scitè quàm verè inquit Cicero, qui semel fines
verecundiæ transierit eum oportet gnæviter impudentem esse:
Sic etiam Esavita cum jam aliquoties frontem perfricuerint, & in
errorum excogitandorum impudentia lascivierint, in eadem
luxurias

luxuriari nunquam non desistunt. Etenim in posita præcedenti
quæstione maleferiata cum impudentia legis adimpletionem
per consequentiam satis ridiculam ad extenuandum Christi me-
ritum asseruerunt: jam porrò effrontes errare pergunt ex iisdem
Mariæ in præcedenti quæstione citatis verbis probantes, *coopera-*
tionem nostram ad Dei beneficia consequenda planè necessariam esse. Sic
enim Bartschius tom. 2. pag. 262. *Cooperationem nostram planè requi-*
rit Christus, si suam nobis conferre debeat salutem, ideò nec Christus priùs
manum admovit, quàm ministri imperatas partes implevissent, nec plus
aqua in vinum convertit, quàm à ministris haustum fuit. Item Staplet.
in Cathol. & Mor. prompt. *Locus hic facit contra Hæreticos de coopera-*
tionem nostra necessaria ad Dei beneficia consequenda, qui arbitrii libertatem
non minùs insulsè, quàm impiè negant: Quàm bellè Jesuitis conve-
niat cum tota posteritate Pelagianorum, vel ex hoc unico errore
liquet, adeo, ut non tam similes genitoribus liberi appareant,
quàm ipsi sunt Pelagio. Quemadmodum enim is naturam ad
bene agendum sufficere sibi judicabat: gratiâ autem opus esse, ut
eo meliùs natura bene agere posset: Ita Pontificii veros vulnera-
tæ libertatis limites egressi agnoscunt adhuc in natura corrupta
vires ad benè agendum idoneas, sed non sufficientes, ideoque
auxilio gratiæ, quo natura adjuvatur, opus esse dicunt. Vid. Con-
Milev. can. 5. Contra falsam, autem & impiam hanc Romanen-
sium doctrinam, nos veram ex verbo Dei petitam hujusmodi op-
ponimus, quod ne scintillula quidem spiritualium virium reliqua
manferit aut restet, quibus homo ad gratiam Dei se præparare,
aut oblatam gratiam apprehendere, aut ejus gratiæ (ex se & per se)
activo modo capax esse, aut se ad gratiam applicare aut accommo-
dare, aut viribus suis propriis aliquid ad conversionem suam vel
ex tota vel ex dimidia vel minima ejus parte conferre, agere, ope-
rari aut cooperari ex se ipso possit: è diverso autem mera quoad
*spiritualis conversionis initia *ὑπόστατα* passivitas vel noluntas in-*
fit. Totum enim conversionis & salutis nostræ negotium, quo-
*ad principium, medium & finem Deo soli *κατὰ πάντα* ascribi de-*
bere, restantur loca. Johan. 3. v. 27. Non potest homo accipere quicquam,
nisi fuerit ei datum de cælo. & 6. v. 44. nemo potest venire ad me, nisi Pa-
ter, qui misit me, traxerit eum. 2. Cor. 3. v. 5. Non quod sufficientes simus co-
gitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Phil:

2. vers. 13. Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Joh. 15. v. 5. inquit Christus: sine me nihil potest fieri. Luc. 1. v. 18. per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos. Imò ad illuminationem sumus tenebrae Eph. 5. v. 8. Ad vitam spiritualem sumus mortui. Eph. 2. v. 5. Ad conversionem sumus saxei. Ezech. 36. vers. 36. Nihil ideoque prorsus cooperamur nec cooperari possumus: Quod ad ad Bartschii & Staplet. objectum attinet, Respondemus bonis istis fraterculis, operatos esse famulos exequentes mandatum Christi in aqua haurienda, sed non cooperatos ad beneficium Christi. Quid enim ad miraculosam aquae in vinum commutationem ministri, puram tantummodo haurientes aquam, contulerunt & conferre potuerunt? Minimè certè, sic etiam, quam tamen externam Deus nobis praescripsit collaturus nobis spiritualia sua beneficia ad conversionem nostram & ad aeternam salutem pertinentia. E. G. ut legamus, audiamus & meditemur verbum, & Sacramenta à Christo instituta legitimè administrètur & sumantur; ea omnino opus nostrum in obsequio externae locomotivae accedere debet, & nisi accedat propter hunc contemptum Deus suam gratiam, non merito subtrahit & denegat. Hoc tamen facientes adhuc pure passive nos habemus, uti antea dictum. Vid. Chem. loc. com. de lib. arbit.

Quaestio III.

An male dicatur vetitum, quod in Scriptura non est expressum?

Duplex esse verbum Dei statuunt Jesuitae in Catech. Rom. lib. 1. in praefat: quod & fatetur Tannerus in colloq. Ratis. sess. 11. p. 230. Duplex, inquit, Verbum Dei est, aliud scriptum ἐν γραφῶν, aliud ἀγραφοῦν non scriptum? Illud in voluntate à sp. S. dictato (quod καὶ ἐξ ὀχθῆν βέλγια appellatur) cōprehensum: ἀγραφοῦν v. cōprehendis traditiones, quae ab Apostolis acceptae sunt praecipua seu constituta ad fidem seu religionem spectantia & exclusa infallibili auctoritate Ecclesiae in Scriptura nec aperte exprimuntur nec ex ea evidenter deducuntur. Propositam hanc sententiam probare annititur Fridericus Bartschius ex saepe reperitis Mariae verbis, dum ita docet: Licet etiā in reb. divinis ab hominib. precipi, quae ad pleniorē voluntatē Dei executionem facere debent, & meritò in talib. obedientiam praestari exemplo famulorū: Facile quidem nostro Friderico, nisi lateret anguis in herba, hoc concederemus, siquidem optimè novimus, Magistratum,

eum, Parentes & alios in eminentia constitutos debere esse custo-
dem utriusque tabulae legis divinae. Verum paulo post *ὁπλον* suum
apertius detegit, dum inquit: *Discimus etiam illud non vetitum esse in*
eo genere quicquam, nisi quod simul cum praeceptis divinis stare non possit,
ideoque male dici vetitum, quicquid in lege divina non est expressum. Fin-
gunt itaque Jesuitae, multa ad fidem & mores vivendi necessaria
ab Apostolis esse tradita, quae in verbo Dei scripto non continen-
tur: Cui suo figmento mox aliud perdito conatu, reclamante vel
proprio conscientiae testimonio, attextunt. Haec ipsa nimirum, quae
in Romanensium Ecclesia tradantur atque observentur, licet ex
verbo Dei scripto neutiquam deduci possint, & non raro cum
eodem è diametro pugnent, haec inquam esse ea ipsa, quae ab Apo-
stolis viva voce tradita, literis autem non consignata acceperint,
hoc esse illud principium, ultra quod non sit fas inquisitione pro-
gredi, vociferantes. Quibus sic praemissis non puto laboriosum fo-
re ad hunc eorum errorem respondere, unum nimirum idemque
verbum esse de patrefacta Dei essentia ac voluntate, sive illud viva
voce praedicetur, sive legatur, canatur, literis consignetur, atque ne-
vitiosam illorum distinctionem, id quod clarissimis Scripturae di-
ctis probatur: Joh. 15. v. 15. *Iam non dico vos servos, qui in servus nescit,*
quid faciat Dominus ejus Vos autem dixi amicos, quia OMNIA quaecumque
audivi à Patre meo nota vobis feci. Act. 1. v. 1. *Primum sermonem feci de*
OMNIBUS, quae coepit Iesus facere & dicere 1. Cor. 15. v. 1. 2. 3. *Notum*
vobis facio Fratres, Evangelium, quod praedicavi vobis, quod & accepistis, in
quo & statis, per quod & salvamini, qua ratione praedicaverint vobis, si te-
neris, nisi frustra credidistis: tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi, & c.
Ubi idem Evangelium quod & praedicaverat viva voce, nunc se,
inquit, etiam per literas illis notum facere. 1. Johan. 1. vers. 3. Jo-
hannes scribens suis auditoribus, inquit, *quod vidimus & audivimus,*
annunciavimus vobis. Quod verò omnino sit vetitum, quicquid in
sacra Scriptura non est expressum, probatur ex mandatis, quibus
additiones & detractiones severissime prohibentur. Deut. 4. v. 2.
Non addetis ad verbum, quod EGO vobis loquor, nec auferetis ex eo, ut custo-
diatis mandata Domini Dei vestri, quae EGO precipio vobis. Ib. c. 5. vers. 32.
Custodite & facite, quae precipit Dominus Deus vobis, non declinabitur, neque
ad dextram neque ad sinistram, Ib. c. 12. v. 32, Omne verbum, quod precipio vobis, illud
custo-

diatis ut faciatū, nec addes super illud nec diminues ex eo. Esse autem hæc de verbo Dei scripto intelligenda patet ex Exod. 24. vers. 4. & cap. 34. v. 27. Deut. 17. v. 28. Jos. 1. v. 8. Deut. 27. vers. 26. Galat. 3. v. 10. Quod ad Bartschii glossam ad mandatum Mariæ attinet, negabitur consequentia, nisi adversarius prius probaverit, hoc, Mariæ mandatum esse vel extra vel præter Scripturā, quod negatur, redimus enim ad legem illam, qua subditi ad fidelem obædientiam erga superiores obligati sunt: Interim Pontificii faciant quod Christus jubet,

Quæstio IV.

An Ecclesiam Romanam per mille annos Christus adulterandam ante Lutheri tempora prostituerit?

Quia Christus, licet ad tempus auxilium denegaret Mariæ pro novis sponsis intercedenti, tamen admodum sollicitum fuisse pro novis sponsis negari non potest: sicque etiam adhuc pro spiritali sua sponsa Ecclesia scilicet curam agit non minorem, juxta dicta Johan. 14. v. 18. Matth. 28. v. ult. Johan. 10. v. 28. & 29. Rom. 8. v. 34. Esa. 62. v. 4. & 5. Bartschius inde perperam concludit tom. 2. pag. 254. fieri non potuisse, ut secundum Lutheranos ferè per mille annos Ecclesiam Romanam Antichristo adulterandam prostituerit Christus. Respondemus autem ultrò nos concedere & largiri in medio Papatu semper fuisse residuam Ecclesiam aliquam veram. Et hoc est quod nos contra Pontificios urgemus maximè, non interius se propterea Ecclesiā aut intercidisse si vel maximè Papa ipse vel conjurati Cardinales, Episcopi, Monachi, Præsules & reliquæ Synagogæ Pontificiæ à sponso suo desciverint ad meretricium quitum, Apocal. 18. v. 2. *Cum ipse fidelis maneret* 2. Timoth. 2. vers. 13. Hof. 2. vers. 20. Etenim ad felicem quidem & florentem Ecclesiæ statum requiritur, ut & verbi ministerium purum & Sacramentorum usus legitimus sit, & omni ex parte integer, quo tamen modo non semper floret: aliàs sequeretur, antè Johannis Baptistæ ac Christi ministerium nullam omninò Ecclesiam fuisse. Constat autem in Pontificio quoque regno mansisse verbum Dei. Inde desumptus fuit Decalogus, Symbolum Apostolorum, Oratio Domini.

minica, Baptismus, Historia Passionis, pericopæ Evangeliorum
& Epistolarum Dominicalium, tum aliqui etiam de summis
mysteriis præcellentes Hymni, ex quibus electi fundamenta
Christianæ veritatis didicerunt, humanis traditionibus vel præ-
teritis, vel in tentationum fluctibus & mortis agone displosis
Matth. 23. vers. 2. *Super Cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Pharifæi.*
Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis ſervare, ſervate & facite, ſecundum au-
tem opera eorum nolite facere.

Quæſtio V.

An cœleſtis doctrina ex ſolis & nudis mira-
culis probanda?

Miraculi vox dupliciter accipitur, primo *largè* ubi opera na-
tura aut fabulæ hominum ingenio excogitata miracula dicuntur.
Quæ enim ſive miraculum à mirando deductum, ſi vocis ori-
ginem ſpectes, nihil aliud eſt, niſi opus ſua vel magnitudine vel
novitate vel raritate propter cauſæ occultæ ignorationem, in ad-
mirationem inducens. Hinc pro miraculis coluerunt & celebra-
runt 7. ingentia mundi opera hominum industria ſive viribus
confecta atq; elaborata, ut *Templum Dianæ Ephesæ: Mauſoleum Rgie-*
ne Caria in honorem viri ſtructurum: Coloſſum Iovis apud Rhodios: Iovis O-
lympiaci ſimulacrum ex ebore à Phidia confectum: Muros Babylonis, quos
Semiramis regina conſtruxerat: Pyramides Ægypti miræ altitudinis: Do-
num Cyri Medorum Regis, quam Memnon illigatis auro lapidib, pretioſis fa-
bricavit, de quibus Plinius & alii. ſecundo ſtriçtè ac propriè miraculum
accipitur pro opere, quod omnem naturalem virtutem agentium
ſuperat, & à ſolo Deo cujus poteſtas eſt infinita & quod in ſe verã
admirationis cauſam habet effici poteſt. Eſt itaque miraculum
res inſolita, ſupra naturæ potentiã effecta. Naturæ itaq; humanæ
productio, noſtra juſtification, vel etiam noſtra ad æternam gloriam
poſſidendam evectio, miracula propriè non ſunt cenſenda, quia
eſi hæc opera excedant potentiam naturæ creatæ & à ſolo Deo
fiant, non tamen ſunt rara aut inſolita ſed communia & uſitata.
Sic etiam ſi unus homo naſceretur 6. digitis in qualibet manu &
monſtra quædam, quæ interdum producuntur, miracula tamen
non ſunt, quia eſi hoc inſolitum ſit, vires tamen naturæ nõ exce-
dit, quoniam à cauſis naturalib, illa procedere poſſunt. Duo E. ad-
eſſe oportet, ut aliquid dici poſſit verum miraculum, primo ut ſit
ſupra naturæ facultatem; deinde ut non ſit commune; Altero ho-
rum

rum deficiente, vera miraculi ratio non constabit. Hæc itaq; miracula, omissis & neglectis præstigiis sive occultis naturæ mirabilibus, ad quæ vulgus ex nita cõsuetudine tantum pendens obstupescere solet, dicimus esse opera supra non raro contra vires & cursum naturæ facta, pro ut est miraculum de quo agit nostrum Evangelium Ioh. 2. Sic Dan. 3. de tribus juvenib. coniectis in fornacem æstuantem. Sic quãdo aquæ Jordanis steterunt in tumulto uno Joh. 3. ideoq; nõ nisi divinæ omnipotentia propria Joh. 3. v. 2. Joh. 5. v. 4. quæ talia vel imediatè vel mediate per homines. E. G. per Prophetas & Apostolos edere solet Ex. 8. 9. 1. Reg. 17. 2. Reg. 4. Actor. 3. & 13. Ad gloriã nominis sui illustrandã Joh. 2. & 5. Ex his itaq; colligimus verã rationem miraculi atq; Deũ solũ id præstare posse, prout Scriptura testatur Ps. 72. v. 18. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* & Ps. 77. v. 14. *Deus in sancto via tua, quis Deus magnus, sicut Deus noster, tu es Deus qui facis mirabilia* Ps. 86. v. 10. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, Tu es Deus solus.* Quæ cum ita sint, non immeritò quæritur, *an etiam ex solis miraculis sine testimoniis verbi divini possit ullum dogma probari, vel an hoc titulo debeat recipi?* Quod negamus. notãdũ n. quod licet vera hujusmodi miracula à solo Deo ter Opt. Max. originẽ ducant, tamen, quia & Diabolus vel imediatè vel mediatè per sua organa per Antichristum & falsos Prophetas aliosq; p veneficas & Magos & similes stupenda & sensib. nostris incomprehensibilia facit, & sic per se sint difficilima dijudicatu præsertim simpliciorib. quib. externa specie etiã Diaboli virtutes imponere possunt: ad quamvis doctrinã probandam adhiberi non debent. Ideoq; & Deus licet verbũ & majestatem suã subinde miraculis illustrẽ reddiderit, noluit tamen fieri judiciũ de doctrinæ veritate, aut de veri Dei majestate ex solis miraculis, quã talib. ut videre est Deut. 13. v. 1. & seqq. Sic nec Christus per miracula Ecclesiã suam inchoavit, ut Papicolæ somniant, prout hoc præco Christi Iohannes Baptista probat, qui cum præmissus Domino viam præparare deberet, non à miraculis, sed à doctrina inchoavit Matth. 3. vers. 1. Marc. 1. vers. 3. Luc. 3. v. 3. imò signum edidit nullum Joh. 16. 41. N. T. convertendo corda Patrum in filios & incredulos ad prudentiam justorum. Hunc secutus est ipse Christus Ecclesiæ suæ caput prædicatione verbi sui regnum suum apertè inchoavit Mat. 4. v. 17. Marc. 1. v. 16. Postea emittens Christus discipulos suos hanc ipsis dat instructionem Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. ut euntes in universum orbem prædicent Evangelium omni creaturæ, quam prædi-

prædicationē præmissā deinde secutura signa pollicetur, atq; sic prædicationē verbi, nō a. miracula præcedere voluit. Quare cum authore Epistolę ad Heb. 1. v. 1 & 2. concludimus: Olim quidem Deum multis modis verbum suū patefecisse, quod miraculis comprobatum fuit; novissimē v. in postremis dieb. locutum nobis esse per filium, cujus doctrinā per Apostolos propagatā & per signa subsequētia satis cōformatā qui docent atq; amplectuntur, vera sunt Ecclesię Christi membra, nec ut ullam aliam revelationem expectent, necessum habent.

Errores, qui propter prolixitatem fugiendam tractari non poterunt, ex Jesuitarum Postillis potissimum collecti.

1. Docet ergo Ecclesia in sextam Januarii diem hæc tria incidisse diuersis annis: in primis Magorum adorationem. Deinde Baptistismum. Postea aquę in vinum mirabilem transmutationem; & licet nonnullis atatis nostrę doctissimis Scriptoribus sententię hæc minimē placeat, proque contraria sententię non leve sit argumentum, quod non leuiter refutetur, tamen Ecclesiam sequor, quę manifestē loquitur, nec indiget expositore, hanc opinionem illa elegit, hanc & ego eligo. Barrad. tom. 2. comment. in Evangelistas l. 1. c. 12. Et eiusdem tomi l. 3. c. 1. Nuptiæ hæc sexta die Januarii factę sunt, quę eadē die Anno superiore Christus est baptizatus.

Es ist diese Hochzeit gewesen den 6. Januarij ein Jahr nach der Tauffe Christi/welche auch auff diesen Tag geschehen. Ecc. in Postilla.
2. Der Bräutigam auff dieser Hochzeit ist gewesen Johannes der Evangelist/welchen der Herr Christus hat von der Hochzeit beruffen/da er hat weiben wollen. Eccius in Postilla.

Johannes Evangelista sponsus fuit, eumq; de nuptiis volentē uxore ducere, vocavit Christus, & propterea quę a carnali voluptate retraxerat potiori amoris sui dulcedine donavit, quā quidam nonnulli existimationem explodunt. Ego v. non explodam, quod nō levis autoritatis habeat sectatores Barrad. in loc. citato.

3. Licere, dimisso conjugē, religionem ingredi quemadmodū Johannē Eremitā & Macariū & Alexiū fecisse legimus, unde lex Ecclesię stabilita est, c. verum de convers. conjug. non negamus. Salmeron tom. 6. tr. 6.

4. Ex eo (v. sc. 3.) colligimus, quod multo magis in cælis posita Maria, p. necessitatib. nostris apud filiū suū intercedit, ut certissima & prōtissima advocata, Stapl. in prōpt. cath. sup. hæc Domin. text. r.

Quoniam

Quonia primū Christi miraculū, primū in terris gratiæ suæ, beneficium ad B. Virginis intercessionē factū fuit, colligimus singularem illā pro humano genere advocatam esse Id. Ibid.

5. Christus Mariæ durius respōdit, ne si semper à filio honoraretur, & nō tanquā Dominū illū haberet, non posset per humilitatē ad illam altitudinem evehi ad quam evecta est. Id. Ibid.

6. Absit à nobis, ut humano aliquo inanis gloriæ affectu permotā Virginem credamus, quæ nullo unquam vel originali vel veniali peccato est infecta, tamq; aliena ab inani gloria fuit, quā verā solidāq; gloria plena. Id. Ibid.

7. Wir müssen den Irrthum meiden das Armuth (nota paupertatē ex voto sponte arreptā) Schande sey / da sie doch die erste Staffel an der Himmelsleiter sey. Timpius in libel. Ceremonien warumb / c. p. 16.

8. Præparavit Deus medicinā ante morbū, & simile quid præmisit, ne impossibilis videretur transsubstantiatio in Eucharistia, planē ut sterilis conceptionem præmisit Luc. 1. & multiplicationē panum Joh. 6. Stanislaus Grodicius com. quadrip. 2.

Miraculum hoc ad negotiū transsubstantiationis trahi optimè potest. Petrus Chuniacensis. Vid. Cent. Magde. 72. col. 877.

Locus observādi cōtra hereticos, aquā hīc in vinū mutatā solā Christi voluntate, nullis aut verbis aut Ceremoniis adhibitis. Si n. solo nutu, ac sola voluntate, nullis prolatis verbis vel significantibus vel operatoriis, nullo adhibito cōtactu, nullā benedictione, nullā gratiarū actione præmissa cōvertit aquā in vinū, idq; præstantissimū & in magna copia: Quare ijdē heretici nō credunt, q̄ tota credit Ecclesia, Christū tot verbis, tot Ceremoniis tantaque & tam clara asseveratione usum panem in corpus suum vertisse? Stapler. in Cath. prompt. §. 4. ad hanc Domin.

9. Locus notandi cōtra hereticos horū temporū, Christū Dominū ideò afferri Architrucino iussisse, ne ordinē in Rep. positum in ipsis suis miraculis perturbaret. Quia in re docet Salvator, sic se extra ordinē operari, ut ordinē vel in Ecclesia vel in Rep. positum in ipsis suis miraculis nō perturbet. Quare hodiē heretici insaniūt, qui toto ordine Ecclesiæ violato, sese à Deo vocari impudentissimè jactitant. Id. Ibid.

10. Unicuiq; Doctōri, qui religionis formā, quā invenit, innovandā p̄fitetur, necessaria est miraculorū operatio. Bart. Tom. 2. p. 276.

11. Miracula, qualia Christus fecit, vehementi cogitatione, sive imaginatrice virtute effici possūt, Pomponat. & Hieron. Cardanus.

F I N I S.

94 A 7385

ULB Halle
002 728 095

3



VD17



1. An die ...
2. ...
3. An die ...





TIO

icaæ secun-

n.

D E

RICHARDO

OFESSORE

D.

Fautore

mic

THOFFRO,

s in SALANA.

uarii,

XVII.

MANNI.

9

